ARQUIVO DA UNIVERSIDADE

COLÉGIO DA COMPANHIA DE JESUS
E
UNIVERSIDADE DE ÉVORA

1564

Breve de Pio IV para que o cardeal altere os estatutos como entender do Colégio do Espírito Santo e Universidade.

Gav. 5-B - Maço 1 - N.º 20

1564

PIUS PP. IIII

AD PERPETUAM REI MEMORIAM. Suscepti nos cura regiminis sollicitat et inducit, ut ea quæ pro utilitate et salubri regimine collegiorum et aliorum piorum locorum, necnon personarum in eis diuinis laudibus insistentium, ac bonis lr̃is ad propagationem et conseruationem religionis christianæ incumbentium, prouide facta dicuntur, ut firma perpetuo et illibata permaneant, aplici muniminis dum a nobis petitur, libenter adjicimus firmitatem, et singulorum fidelium, præsertim dilectorum filiorum nr̃orum sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium uota, quæ ad id pertinere noscuntur, pij pr̃is affectione prosequimur, utq; optatos sortiantur effectus, opem et operam, quantum cum Deo possumus, prout ad diuini nõis laudem et personarum earundem spiritualem consolationem, ac animarum salutem conspicimus in Dñó salubriter expedire, impendimus efficaces. Sane dilectus filius nr̃ Henricus tituli sanctorum quattuor Coronatorum præsbiter Cardinalis Infans Portugalliæ nuncupatus, nobis nuper exposuit, quód aliás forsan postq; ipse tunc Ecclesiæ Elboreñ ex dispensatione aplica Præsul, seu in spiritualibus et temporalibus per sedem aplicam deputatus perpetuus administrator existens, prouide considerans gregem dominicum a uia salutis facile aberrare posse, ubi sacrarum et aliarum lr̃arum cognitio sacerdotibus et Ministris Ecclesiæ deesset, suasq; Ciuitatem et dioc. Elboreñ a Colimbrieñ, cæterisq; gymnasijs publicis regni Portugalliæ nimium remotas existere, ac propterea cupiens pro suo pastorali officio Sacerdotes et Ministros dictarum Ecclesiarum Ciuitatis et dioc. ad lr̃arum studia capescenda absq; incõmodo uel dispendio allicere, ut exinde ad Ecclesiarum gubernacula aptiores euaderent, plebesq; sibi cõmissas doctrina et exemplis felicioribus instruerent. Vnum collegium uel Vniuersitatem studij gñalis sub inuocatione sancti spiritus in dicta Ciuitate ad gramaticam, cæterasq; artes liberales, ac ius canonicum et Theologiam quibuslibet præsbiteris et alijs studere uolentibus, et ad dictum Collegium recurrentibus, quotidie legendum et interpretandum suis proprijs impensis ordinaria et seu aplica auctoritatibus, ac aliás omnibus melioribus modo et forma, quibus potuerat et debuerat, erexerat et instituerat, illiusq; curam regimen et administrationem dilectis filijs Rectori, Scholaribus et pr̃ibus Societatis Jesu in eadem Ciuitate canonice institutæ ob uberes fructus, quos in Ecclesia Dei ubiq; producebant, ita tamen quod iurisdictioni et correctioni ipsius quoad uiueret, et eo uita functo pro tempore existentis Archiepi Elboreñ seu Portugalliæ et Algarbior̃ Regis, prout sibi magis expedire uideretur, suppositum et subiectum, seu supposita et subiecta remaneret, liceretq; sibi statuta et ordinationes quæcunq; pro salubri regimine et gubernio collegij et Vniuersitatis hmói illiusq; bonor̃ et personarum condere et publicare cõcesserat et assignauerat et concedi et assignari aplica auctẽ procurauerat, In capella sub inuocatione sanctæ Crucis in Ecclesia Elboreñ tam tunc erecta et instituta, certas capellanias pro certo Capellanor̃ numero, qui lr̃is operam dare possent et deberent, ut exinde doctores effecti, ad curam animarum in dioecesi Elboreñ exercendam, eligi et assumi ualerent, fundauit et instituit, et pro felici regimine, gubernio, et administratione tam rerum, bonorum, et personarum collegij, quám Capellanorum prædictorum nonnulla statuta et ordinationes condidit ac forsan promulgauit, prout in suis patentibus lr̃is desuper forsan confectis plenius dicitur contineri. Cum autem sicut eadem petitio subiungebat, præfatus Henricus Cardinalis cupiat statuta et ordinationes hmói pro illorum subsistentia firmiori aplico munimine roborari, nobis humiliter supplicauit, quatenus statuta et ordinationes hmói aplica auctẽ approbare et confirmare, aliasq; in præmissis opportune prouidere de benignitate aplica dignaremur. Nos igitur, qui eruditionem et alia catholicæ religionis propagationem concernentia opera nr̃is potissimum temporibus augeri supremis desideramus affectibus, tenores statutor̃ et ordinationũ ac lr̃arum desuper confectar̃ hmói, ac si de uerbo ad uerbum insererentur p̃ntibus pro expressis habentes, hmói supplicationibus inclinati, Statuta et ordinationes præmissa, necnon prout illa concernunt oĩa et singula alia in dictis lr̃is contenta et inde secuta quæcunq; licita tamen et honesta ac sacris canonibus non contraria auctẽ aplica tenore p̃ntium ex certa nr̃a scientia perpetuo approbamus et confirmamus, illisq; perpetuæ et inuiolabilis firmitatis robur adijcimus omnesq; et singulos tam iuris, quám facti ac solennitatum defectus, siqui forsan interuenerint in eisdem supplemus. Necnon præmissa omnia et singula perpetuo et inuiolabiliter obseruari. Sicq; per quoscunq; iudices, quauis auctẽ fungentes, etiam causarum Palatij Aplici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, sublata eis et eorum cuilibet quauis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctẽ, iudicari et diffiniri debere, ac quicquid secus super his a quoq; quauis auctẽ scienter uel ignoranter attentari contigerit, irritum et inane decernimus. Et insuper eundem Henricum Cardinalem amplioris gratiæ fauore prosequi uolentes, illi ut si sibi uidebitur, et quoties opus fuerit, statuta et ordinationes per eum ut præfertur condita hmói reuocandi et annullandi, necnõ illorum loco quæcunq; alia statuta et ordinationes licita tamen similiter et honesta, ac sacris canonibus non contraria, eiusdem collegij ac illius personarum et capellanorum hmói prosperum et felicem statum, regimen, decorem, uenustatem, ac diuini cultus celebrationem concernentia faciendi et edendi, illaq; reformañ, immutandi, alterandi, et alia de nouo edendi, quæ quoties edita condita, reformata, alterata, mutata et de nouo edita fuerint, eo ipso dicta auctẽ aplica confirmata sint et esse censeantur, plenam et liberam facultatem et auctẽm, auctẽ et tenore prædictis concedimus et indulgemus. Non obstantibus præmissis ac quibusuis constitutionibus et ordinationibus aplicis, necnõ Ecclesiæ et Collegij prædictorum ét iuramento confirmatione aplica uel quauis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, cæterisq; contrarijs quibuscunq;. Dat. Romæ apud sanctum Marcum sub Annulo Piscatoris Die. iiij. Julij. M. D. lxiiij. Pont.s Nr̃i Anno Quinto.

Cæ: Glorierius

Nº 1

Collegio, e Universidᵉ do Espirito Santo de Evora
qᵈᵃ se poderem reformar seus Estatutos, e fica-
rem logo aprovados em virtude deste Breve.

Breve do Papa Pio 4º. dado em Roma a 4 de Julho
do anno de 1564. no 5º. anno do seu Pontificado, pelo
qual concedeo, e permittio ao Snr. Cardeal Infante
D. Henrique fundador do Collegio, e Universi-
dade do Espirito Santo de Evora, que podesse, que
podesse mudar, alterar, e reformar-lhe os Estatutos,
e que tendo assim feito ficaria logo aprovado em
virtude deste Breve, e das mais concessoens,
que já lhe tinhaõ sido feitas.

Perinde valere pᵃ o Cardeal po-
der fazer e mudar os statutos
da Universidade e Casuistas —
4ª. Bulla

ARQUIVO DA UNIVERSIDADE DE COIMBRA